



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopo, Et Abbati sancti Stephani, & Priori sancti Theodori
lanuensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

genteam deauratam, presentibus & consentientibus & approbantibus omnibus prescriptis Episcopis, Presbyteris, Diaconibus Cardinalibus, & injungentibus mihi scriniario ut hujusmodi juramentum publicis litteris exararem. Hi interfuerunt in palatio Ferentini coram Domino Papa, Episcopis, Presbyteris, Diaconibus Cardinalibus. Dominus Lotharius, Dominus Stephanus Theobaldi, Dominus Romanus de Baroncho, nobiles cives Romani; Dominus Lando de Montelongo, Dominus Lando de Colle de medio, Dominus Guido de Colle de Medio, Benedictus de Averfa, & alij. Et ego Iohannes de sancto Laurentio S. R. E. Scriniarius, sicut vidi, audiui, & interfui, scripsi, complevi, & absolvi. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis, constitutionis, concessionis, & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Laterani v. 1. Kal. Martij, pontificatus nostri anno duodecimo.

ARCHIEPISCOPO, ET ABBATI
sancti Stephani, & Priori sancti
Theodori Ianuensis.

fol. 6.
Scribitur eis
pro Beato S.
Mare de Cal-
tano.

Significarunt nobis dilecti filij G. Præpositus & fratres Ecclesie sancte Marie de Castello Ianuensi quod cum olim inter ipsos ex parte una & Clericos sancti Damiani & sancti Nazarij ex altera super eo quod prædicti Clerici contra decretum bonæ memoriæ Cyri Archiepiscopi Ianuensis in Ecclesiis suis in honore beatæ virginis altaria construere præsumperunt, coram bonæ memoriæ Hugone Archiepiscopo Ianuensi & G. Abbate Civitatis auctoritate piæ recordationis Alexandri Papæ prædecessoris nostri quæstio vertetur, iidem cognitæ causæ meritis pro eis diffinitivam sententiam protulerunt, sicut in authentico exinde confecto evidenter apparet. Piæ quoque recordationis Urbanus Papa prædecessor noster præfatam confirmans sententiam, cum inter Præpositum & fratres ex parte una & Clericos sancti Georgij Ianuensis ex altera super eodem coram ipso quæstio verteretur, pro eis sententiam promulgavit, decernens in altari quod iidem Clerici in honore beatæ virginis per Bruniacensem Episcopum fecerant consecrari, licet idem ob reverentiam sacramenti remanserit con-

secratum, officium celebrari divinum de cetero non debere. Quocirca discretionem vestram per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus præfatas sententias exigente justitia promulgatas faciatis per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo firmiter observari. Nullis litteris veritati &c. Quod si non omnes iis exequendis &c. tu ea, frater Archiepiscopo, cum eorum altero &c. Datum Laterani 11. Kal. Martij, anno duodecimo.

FERRARIENSI EPISCOPO.

In quadam nostra epistola decretali asseris te legisse illud esse nefarium opinari quod quidam dicere præsumperunt, in sacramento videlicet eucharistiæ aquam in flegma converti. Nam de latere Christi, non aquam, sed humorem aquaticum mentiuntur existisse. Licet autem hoc magnos & authenticos viros sensisse recenseas, quorum opinionem dictis & scriptis hæcenus es secutus, ex quo tamen in contrarium nos sentimus, nostræ compelleris sententiæ consentire. Sed verbum Iohannis Apostoli te multum movere fateris dicentis: *Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt.* quamvis hoc ultimum in plerisque codicibus minimè habeatur, quod dicis ab omnibus sic exponi, illos videlicet esse unum, id est, de una & eadem re, scilicet de humanitate Christi, testari. Porro si vera fuit aqua quæ fluxit de latere Christi, & non humani corporis humor, qualiter per illam probetur quod Christus sit homo, non vides. Glosa namque super illum locum sic habet: *Spiritus, id est, humana anima, quam emisit in passione, aqua & sanguis quæ fluxerunt de latere Christi, quod fieri non posset si non haberet veram carnis naturam.* Sic ergo tam ex textu quam ex glosa proponis per illam aquam probari quod Christus sit verus homo. Et ideo si dicatur quod illa non extitit vera aqua, sed aquaticus humani corporis humor, tam expositoris quam Apostoli verba intelligibilia tibi esse videntur. Sed dicto quod fuerit vera aqua, sicut nos credimus & fatemur, nec ista nec illa sufficienter intelligis. Vnde nobis humiliter supplicasti quatinus ad generalem utilitatem legentium & nebulam de tuo corde tollendam sufficienter & evidenter hoc exponere dignaremur. Nos igitur ad tuæ supplicationis instantiam respondemus quod quidam dixerunt, sed errave-

Epist. 7.
Respondet ad
ejus consulta.
Cap. In quadam.
De celebr. Miss.

* In tert. collect.
additur, verus.
Sed tamen vox
illa non extitit in
codice Anagninensi.